

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationum// Roberti Bel-/Iarmini Politiani,// Societatis  
Iesv// De Controversiis// Christianae Fidei, Adver-/sus  
huius temporis Haereticos,// Tomus ...**

De Sacramento Evcharistiæ - Sex Libris Explicata

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1589]**

**VD16 B 1603**

XI. Idem probatur ex cap. 4. Ioannis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54113](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-54113)

de illa repræsentatione, sed de oblatione Eucharistia Deo facta controværia est. Quod etiam Kemnitius addit, ab Augustino per incensum intelligi orationes, iam supra declaratum est.

Idem Augustinus de sacrificio corporis Domini in Eucharistia loquens, lib. 18. de ciuitate Dei, cap. 35. Hoc sacrificium, inquit, per Sacerdotes secundum ordinem Melchis, ezech cum omni loco à solis ortu usque ad occasum Deo iam videant offerunt sacrificium Iudeorum, de quibus dictum est; Non est milieulantia in vobis, iam cessare, negare non possunt, aut alium consummum expectant. Vide eundem lib. 19. de ciuitate Dei, cap. 12. la oratione contra Iudeos, cap. 9. &c. in Psal. 106. in illa verba: Procul desertum in stagna aquarum.

THEODOREVS in commentat. Malachia disertis verbis dicit, secundum Malachiæ prædictionem, nunc immolar agnum immaculatum, loco victimarum irrationalium, quæ erant in lege Iudeorum.

DAMASCENVS lib. 4. de fide, cap. 14. Hoc, inquit, illud est purum & incruentum sacrificium, quod à solis ortu usque ad occasum Dominus oblatum iri per Prophetam prædictum. Demus Rupertus in comment. apertissimè de sacrificio Eucharistia vaticinium exponit.

## CAPVT XI.

*Idem probatur ex cap. 4. Ioannis.*

**R**EGIMENTVM QVINTVM duci potest ex cap. 4. Euangeli secundum Ioannem, vbi Dominus ipse vaticinum Malachiæ, de quo satistam discerimus, explicare videtur, cum sic ait: *Venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabit Patrem.* Et paulò post: *Venit hora, & nunc est, quando servi adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate.* Hoc enim loco per adorationem non intelligitur quævis adoratio, sed solennis, & publica, per sacrificium propriè dictum. Idem tribus argumentis comprobabimus, si primum breuiter ostenderimus, in Scripturis non esse inusitatum, ut per adoracionem intelligatur sacrificium.

Gen. 22. Abraham instructus gladio, & igne ad sacrificandum, dixit famulis suis: *Exspectate hic cum aenso, ego & puer illuc usque properantes, postquam adorauerimus, reuenteremus.*

ad vos. Hoc loco adorare, sacrificare significat: nam alioquin  
vbique adorare potuisset, si tantum per adorationem incur-  
ratio quædam intelligeretur; sed iusserat ei Dñs, vt in monte  
sacrificaret, & eò proficiscebatur, vt diximus, ad sacrificium adum-  
gladio, atq; igne instructus. Ioan. 12. Erant quidam Gentiles,  
qui ascenderant, & adorarent in die festo. Acto. 8. Eunuchus  
Æthiops venerat adorare in Hierusalem. In his, & similibus  
locis (adoratio) sacrificii significat; ideo enim ex longinquis  
regionibus homines in Hierusalem veniebant, quia non po-  
terant in alio loco Deo vero sacrificia ritè offerri: adoratio  
autem simplex, vt etiam preces, vbique fieri poterant.

His ergo præmissis. PRIMVM argumentum, quo proba-  
mus illa verba Domini: Veri adoratores adorabunt in spiritu,  
& veritate, intelligenda est de sacrificio, ducitur à principa-  
liscopo totius illius loci. Questionem proposuerat Samari-  
tana Domino de schismate Iudeorum, & Samaritanorum:  
Domine, inquit, video, quia Propheta es tu. Patres nostri in  
monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Hierosolymis est  
locus, ubi adorare oportet. Ista quæstio necessariò de adoratio-  
ne per sacrificium intelligenda est. Nam (vt ex Iosepho intel-  
ligi potest, lib. II. antiquit. cap. 8.) schisma Iudeorum, & Samari-  
tanorum exortum est ex eo, quod Samaritani templū ædifi-  
carunt in monte Garizim, & ibi sacrificandum esse contende-  
bant: Iudei autem contrà docebant, in solo templo Hiero-  
solymitano legitimè sacrificari posse. Hanc igitur quæstio-  
nem, quæ tunc multos vexabat, Samaritana Christo ut Pro-  
phetæ proposuit.

Præterea ipsa verba Samaritanæ cogunt, vt per adoratio-  
nem intelligamus sacrificium: nam loquitur de adoratione  
alligata certo loco, & quæ alibi non ritè fiat: Vos, inquit, dici-  
atis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet; ac si dixis-  
set; Vos Iudei reprehenditis nos, quod extra Hierusalem ado-  
remus iuxta ritum Patrum nostrorum, neque alibi, quam in  
Hierusalem licitam esse adorationem afferitis. At certè nun-  
quam fuit apud Iudeos adoratio alligata certo loco, nisi ra-  
tione sacrificij: loquitur igitur Samaritana de adoratione  
per sacrificiam, Quod si hoc ita se habet, necesse est, vt etiam  
Dominii responsio de adoratione per sacrificium intelliga-  
tur: alioquin Dominus non satisfecisset quæstioni propositæ.  
Ergo cum Dominus ait: Mulier credi mihi, quia veniet hora,

TIT 4 quan-

quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabunt Patrem: sensus erit; Veniet tempus, quando non erit aliquis adoratio per sacrificium, neque huic monti, neque Hierosolymis, sed in omni loco offeretur Domino sacrificium. In hoc est quod prædictum Malachias: *In omni loco offeretur vobis in meo oblatione munda.*

Verba autem sequentia: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & Veritate,* hunc sensum faciunt; Veri adoratores id est, qui verum Deum legitimè colent, nimurum Christiani, adorabunt Patrem; id est, Deo sacrificabunt in spiritu & veritate, id est, sacrificio spirituali, & vero, non carnali, & ipso ut Iudei faciebant. Opponitur enim spiritus carni, & veritas figuræ: erant enim sacrificia Iudaica carnalia, quia in maceratione carnis, & sanguinis effusione consistebant, & simul corporis, & umbræ erant futurorum. At Eucharistia sacrificium spirituali, quia (ut saep diximus) per Spiritum sanctum, & ab oblatione consecrationis efficitur, & simul est verum ac implementum veterum figurarum. Nam etsi est etiam typicum respectu sacrificij crucis, tamen respectu sacrificiorum Iudaicorum, non typicum, sed verum dicendum est. Ita exponunt has partolas: *In spiritu, & Veritate,* Chrysostomus, Cyrillus, Euthymius in hunc locum. Possent tamen etiam ita distinguiri voces, ut Theophylactus, & sanctus Thomas in commentario distinguunt, ut spiritualis cultus, opponatur cultui carnali Iudeorum: verus autem opponatur cultui falso Samaritanorum, qui reuera non legitimè, & per hoc non vere Deum colebant sacrificii suis.

**S E C U N D U M** argumentum ducitur ab illis verbis: *Vera hora, & nunc est.* Hæc enim verba manifestè significant Deum inum loqui de adoratione noua, que antea non erat, & con initium haberet à Christo. At adoratio simplex, & omnia in sacrificia inpropriè dicta, ut hymni, preces, eleemosynæ, &c per in usu fuerunt, tam in lege, tam etiam ante legem: ergo Dominus loquitur de adoratione simplici, sed de adoratione per sacrificium, & per sacrificium non inpropiè dictum, & commune omni ætati, sed per sacrificium proprium Testamento novo, & Ecclesia Christi nostrorum.

**T E R T I U M** argumentum sumitur ex eo, quod sine dubio loquitur Dominus de adoratione externa, publica, & solemnis, nos

ni; non de interna, & priuata. Nam & quæstio Samaritanæ id postulat, & præterea Dominus apertissimè loquitur de adoratione apud Christianos, quæ succedat illi, quæ apud Iudeos non siebat legitimè, nisi in templo Hierosolymitano; illa autem erat externa, publica, & solennis. Atqui adoratio simplex, & sacrificia impropriè dicta, possunt omnia priuatim fieri, & sçpe sola mente: non ergo loquitur Dominus de ista adoratione, neque de istis sacrificiis, sed de vero, extero, & publico sacrificio Ecclesiæ, quod aut nullum est, aut Eucharistia est.

**A D D E**, quod Theodoretus, & Rupertus in commentario Malachia hunc locum Ioannis, volunt omnino similem esse vaticinio Malachia suprà explicato, quod etiam ante eos asseruit Eusebius lib. i. de demonstrat. Euangel. cap. 6. Quare si locus Malachia de sacrificio propriè dicto intelligitur, ut sa- tis iam demonstrauimus, certè etiam locus hic Ioannis de sa- crificio propriè dicto intelligendus erit.

### C A P V T XII.

#### Probatur sacrificium Missæ ex verbis institu- tionis.

**S**EXTVM argumentum principale sumitur ab institutione, & prima celebratione huius mysterij, quæ habetur Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. & i. Corinth. 11. Est autem argumentum huiusmodi: Christus in ultima Cœna scipse sub specie panis, & vini Deo Patri obulit, & id ipsum iussit fieri ab Apostolis, & eorum successo-ribus usque ad mundi consummationem. Sed hoc est sacrificium verè, ac propriè dictum obulisse, & offerendum instituisse; ergo celebratio Eucharistia est sacrificium propriè dictum. Assumptio argumenti extra controversiam est: sed propositiōnem aduersarij pertinacissimè negant. Antequam autem progrediamur ad eam comprobandam, operæ pretium erit, imposturam aduersariorum breuiter refutare.

Ioannes Calvinus in antidoto articulorum Parisiensium, singit Catholicos ita probare propositionem nostri argumen- ti: *Christus dixit; Hoc facite. Sed facere, est sacrificare;*, iuxta illud Virgiliū; *Cum faciam vitula: ergo Dominus iussit sacrificare.* Deinde arguento à se conficto, respondet, Do-

T II 5 minum,